

Nr.

1.

2.

3.

4.

5.

6.

7.

8.

9.

10.

11.

12.

13.

14.

15.

16.

17.

18.

19.

20.

21.

22.

23.

R

DISSERTATIO IN AVGVRALIS JVRIDICA

3

DE MINORENNI
IN CAVSA CRIMINALI
AD PRÆSTANDVM JVRAMEN-
TVM PVRGATORIVM SVB PŒNA
CONFESSI ET CONVICTI RITE CITATO ET
NON COMPARENTE IN INTEGRVM
RESTITVENDO

QVAM,
IN PERANTIQVA VNIVERSITATE HIERANA
ILLVSTRIS JCTORVM ORDINIS PERMISSV
RECTORE ACADEMIÆ MAGNIFICO
DN. TOBIA JAC. REINHARTH,

JCTO, SACRI PALATII CÆSAREI COMITE, JVRID. FACVLT. ASSESSORE
ET PROFESS. COD. PVBL. ORDIN. CIVITATIS STNDICO
ET CONSYLE,

S V B P R Ä S I D I O
DN. CONR. WILHELMI Streders/
JCTI, FACVLTATIS JVRIDICÆ, NEC NON JVDICI ELECTORALIS PROVIN-
CIALIS ASSESSORIS, PROFESS. PVBLICI ET CIVITATIS
ERFORDIENSIS SENATORIS,

P R O L I C E N T I A
SVMMOS IN VTROQVE JVRÉ HONORES ET PRIVILEGIA
DOCTORALIA LEGITIME CAPESSENDI,

HORIS LOCOQVE CONSVETO

PLACIDÆ ERFDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT

CHRISTIANVS Gottlieb Sichmann/
ADV. IN ELECT. SAXON. LEGITIMAT.

DIE XV. OCTOBR. A. M DCC XXXI.

ERFORDIÆ, Typis JOH. CHRISTOPH. HERINGII, Acad. Typogr.

Dissertatio Inaugurale Juridica

DE MINORIENI

IN CASA CIVILIA
AD PRACTICAM JURAMENTUM
TAM FARGATQVAM SUB PENDA
CONCESSI ET CONVICCI RITE QUITO ET
NON CONTRARIENTE IN INTERCVM
RESTITUENDO

IN PRACTICAS ANTEPRACTICAS INHERENTIA
ILLUSTRI SCOTORUM ORDINES PERMISSA
PROLOCUTOR AC ADIUVANTE MUNIFICIO
DN. TIBALDUS REINHARD.

TOTI MAGNITATE TUMULIS DIC MONUMENTA
QUAM VERSOR TERRAE SILENTI ET QVARTA
SVA LUXURIA

PRO AVENIA
SUMMOS IN ALTISSIMIS HONORES ET EXALTATIONI
BODIGOTTI TERRITORIUM CARENDI

HOC SOLEMNE CONVENTUS
TERRA AVENIA
CHRISTIANVS GOTTI



§. I.

HAUD EXIGUO DE JURE NOSTRO ROMANO-GERMANICO MINORENNITATEM GAUDERE PRIVILEGIO, VEL IIS VIX IGNOTUM ESSE POTESIT, QUI ELEM PRIMIS, QUOD AJUNT, LABRIS JURIS PRUDENTIAM DEGUSTARUNT: INTER PRÆCIPUAS QUIPPAE CAUSAS RESTITUTIONIS IN INTEGRUM EST AETAS MINORENNIS RELATA. L. I. §. I. ff. DE MINORIBUS 25. ANNIS, IN QUA TO TOTO TITULO HAC DE RE AGITUR.

§. II.

EST AUTEM AETAS MINORENNIS DE JURE SAXONIO QUIDEM, QUAE INFRA XXI. DE JURE CIVILI AUTEM ROMANO, QUAE INFRA 25. ANNIOS SUBSISTIT, TESTE VEL IPSA RUBRICA TITULI MODO ALLEGATI, QUOD QUIDEM TEMPUS PRÆCISE AD MODUM DE MOMENTO IN MOMENTUM COMPUTATUR, UT IPSA HORA, IMO IPSUM MOMENTUM HORÆ, QUO QVIS NATUS EST, SPECTETUR, MODO ILLUD SCIATUR, & PROBARI POSSIT; MINORENNITAS ENIM AB ALLEGANTE EAM PROBANDA EST. L. CUM TE MINOREM. 9. C. DE PROBAT. L. SIMINOREM 4. C. DE INTEGR.

A 2

ref.

rest. min. ad cuius probationem tamen scriptum parentum testimonium, tempore nativitatis consignatum, sufficere puto. præsertim in casu, quo ii jam vita sunt defuncti, tunc enim nullus suspicioni est locus, quod illud in favorem filii sit confictum; licet enim BACHOV. ad TREVTLER. Disp. XI. ib. 8. lit. E. & F. statuat, merito parentum depositionem de MINORENNITATE filii suspectam esse habendam, & hinc contra TREVTLERVM l. c. & MAVRITIVM de restitut. in integr. c. 317. probandam potius sententiam eorum esse, qui testimonium parentum facere ad summum probationem semiplenam docent, existimet, quam etiam communio rem opinionem esse colligatur ex notatis FRANC. de CALD. in L. 3. C. de Restit. in integr. verb. minoribus n. 13. ei tamen, si de omni casu id intellectum velit, subscribere non possum.

§. III.

Saltim enim excipiendi erunt hi duo casus, si nimis
rum 1) parentes sint demortui, antequam restitutione
in integrum ipsorum filio opus aliquando futurum sci-
re vel etiam præsumere potuerunt, & 2) si per testes
probari possit, in libello quodam, vel etiam schedula,
ipso nativitatis tempore, vel paulo post illud, anno ta-
tum id ipsum fuisse; utpote in quibus duobus casibus
omnis testimonii falsi suspicionem exulare crediderim.
Atque hoc cum salis grano etiam intelligendum esse
videtur effatum SFORT. ODDI de restit. in integr. Qu.
37. art. 12. & MENOCHII de arbitr. Jud. quest. L. II.
Cent. 2. Casu 116. n. 4. § 5. § L. II. præsumt. 51. n. 9. §
10. quod nec libris parentum, in quibus natales libe-
ro-

rorum descripti sunt, simpliciter plena fides tribuenda sit; extra enim commemoratos duos casus fieri utique facile posset, ut in favorem filii, præsertim si restitutio rem majoris concernat momenti, noviter ejusmodi confidere libellum, & prolibitu minorem fingere queant ætatem.

S. IV.

Ratio autem, quæ me non tammoveat, quam cogit, ut ita statuam, hæc est: quod aliter, quam tali tempore nativitatis scripto testimonio, plane in possibile sit, probare veram filii, filiæve ætatem, si necessitas exigat, ut non aliquot solum dierum, sed & horarum, horæ quadrantum vel adeo minutorum plane ratio sit habenda, v. g. si probandum esset, aliquem esse natum A. 1682. d. 10. April. hora X. antemeridiana, & quidem tribus ejusdem quadrantibus ante undecimam. Libri enim baptismales Ecclesiarum frustra in tali casu consuluntur, siquidem dies quidem baptismatis in iisdem non autem dies nativitatis, ne dum hujus hora aut horæ quadrans consignari solet; qui igitur aliunde probari poterit nativitatis dies, diei hora, horæque quadrans vel minutum prorsus, quam ex tali omni suspicione carente a parentibus facta nativitatis consignatione?

S. V.

Ipsorum annorum computationem quod attinet, ea longe majori adhuc laborat difficultate, ut ut a nemine, quantum novi, in scripto aliquo publico animadvertisam; difficultatem parit diversa annorum naturaliter & civiliter consideratorum quantitas. Equidem

dem omnes, quantum scio, in eo consentiunt, computationem non civiliter, sed naturaliter esse instituendam. Vid. STRUV. in Synt. Jur. Civ. Exercit. VIII. th. XLII. LAVTERBACH. in Compend. Jur. ad tit. de Minor. *Et alii plures, sed vix, ac ne vix quidem credo, hoc ipsorum effatum, si in genuina verborum significacione accipiatur, menti ipsorummet, vel ullius saltet eorum esse consentaneum.* Si enim naturalis, non civilis annorum quantitas in hac computatione esset spectanda, minorenitas nullius sane scifi posset, nisi in consilium adhibitis Ephemeridibus Astronomorum.

§. VI.

Citra controversiam quippe quantitas anni naturalis est tenipus illud, quod præterlabitur, usque dum Sol in eodem Ecclipticæ puncto ex terra est conspiciendus, in quo conspiciendus erat illo temporis momento, unde anni initium sumitur. Sit e. g. hoc temporis initium Anni 1682. d. 10. April. st. v. h. X. matutinæ ultimus quadrans, quo præcise tempore Sol ex terra conspiciendus fuit in gradus primi scrupulo 57. Tauri, juxta Ephemerides ARGOLI, simulac igitur hunc locum in Signo Tauri attigit Sol ex terra visus, annus naturalis fuit præter lapsus, contigit autem hoc A. 1683. d. 10. April. st. v. horæ VIII^{væ} minuto 47mo; & de novo A. 1684. (qui fuit intercalaris) d. 9. April. st. v. horæ X^{mæ} minuto 56to. Unde apparet, quantitatem anni naturalis non esse eandem, etenim ab A. 1682. d. 10. April. st. v. horæ X^{mæ} ultimo quadrante usque ad A. 1683. d. 10. April. st. v. horæ VIII^{væ} minutum 47mum, elapsi sunt 364. dies & 22. horæ, unico

unico demto minuto; ab A. 1683. autem d. 10. April.
st. v. horæ VIIIvæ minuto 47mo, usque ad A. 1684.
d. 9. April. st. v. horæ decimæ minutum 56tum, elapsi
sunt dies 365. horæ 2. Posterior igitur annus na-
turalis superavit priorem 4. horis & 1. minuto. Sæ-
pius autem longe adhuc major est differentia, ut vel
exinde conjici possit, quod anni naturalis quantitas
media seu mediocris deprehendatur ab Astronomis
365 dierum, 5 horarum & 49. minutorum.

§. VII.

Si igitur naturaliter, seu secundum quantita-
tem naturalem annorum instituenda esset compu-
tatio & quidem secundum tenorem juris civilis, quo,
elapsis demum 25. annis, incipit majorenitas, ex Ephemeridibus indagandum esset, quo die & hora, horæ-
que quadrante vel plane minuto vigesima quinta vice
illud punctum Ecclipticæ attingeret, ex quo conspici-
dus fuit è terra tempore nativitatis alicujus. E.g. si
hoc sit A. 1682. d. 10. April. st. v. horæ decimæ ultimæ
quadrans, quo temporis momento, ut dixi, Sol
occupavit in signo Tauri grad. 1. scrupulum 57um, Sol
idem punctum Ecclipticæ vigesimum quintum attigisse
deprehenditur A. 1707. d. 10. April. st. v. seu d. 21. April.
st. correcti horæ 12. anteridianæ minuto undecimo.
Cave autem per horam 8vam, 10mam, 12mam intel-
ligas more vulgo, sed perperam recepto, illas, quæ in-
cipiunt, dum campana pulsus 8. 10. 12. dedit, tum enim
reverâ currere incipit hora 9na, IIma & prima pome-
ridiana; octo enim campanæ pulsus indicant, octavam
jam elapsam esse horam, & sic de reliquis etiam est ju-
di-

dicandum. Octava igitur hora e. g. est illa, quæ currere incipit post 7. campanæ pulsus, adeoque duodecima illa, quæ post 11. campanæ sonitus decursus sui initium capit.

§. d. VIII.

Quotusquisque autem J^Ctorum dicet, eum, qui natus est antea commorato tempore, A. 1707. d. 10. April. st. v. horæ 12mæ minuto undecimo majorenitatem attingere? nonne uniusquisque eorum contendet, jam horæ decimæ illius diei ultimo quadrante id fieri, vel factum esse? Ast nonne hinc clarissime elucescit, ex ipsorum mente non naturalem, sed civilem annorum computationem adhibendam esse. Est nimurum Civilis computatio, quæ quantitate annorum civili nititur, hæc autem est 365. dierum, anni communis intuitu, & 366. dierum, si annus sit intercalaris; quæ duo annorum genera ea lege se invicem sequuntur, ut quoscumque tres communs, incipiendo à primo Nativitatis Christi, (vel accuratius loquendo; à primo æræ vulgaris Dionysianæ, hæc enim, uti ex Chronologicis constat, duobus annis inferior est tempore Nativitatis Christi) anno, excipiat unus intercalaris; ut adeo quartus quisque talis sit, indeque nota characteristicæ anni intercalaris sit, si ejus numerus deprehendatur pariter par, h. e. talis, quem juxta Euclideam definitionem, par per parem metitur, seu ut magis ad captum Matheseos expertorum loquar, cuius dimidium est numerus par. Reliqui autem omnes, sive ipsorum numerus sit par, sive impar, sunt anni communes, & consequenter nonnisi 365. dierum. Ita e. g. annus præce-

præcedaneus 1730. æque ac præsens 1731. fuit annus communis, licet ipsius numerus 1730. sit par; ast futurus annus 1732. erit intercalaris, quia ipsius numeri dimidium, nimirum numerus 866. est numerus par.

§. IX.

Scire ayes, quid Σ Ctos in eum induixerit errorem? conjectu facile est, $\pi\epsilon\nu\tau\sigma$ $\nu\epsilon\nu\delta\sigma$ fuisse, quod supposuerint, quantitatem naturalem annorum plane esse unam eandemq; qui error condonandus omnino est, rerum Astronomicarum & Calendariographicarum ignaris, quales tantum non omnes sunt. Non solum enim in Astronomiis hospes scire nequit inæqualitatem annorum naturalium, sed & eadem ipse fere plane incredibilis est, & falsitatis summe suspecta, utut firmo satis experientiæ tali, observationibus nimirum Astronomorum, nixa.

§. X.

Juxta computationem civilem autem esse aliter nequit, quam ut quisque eo ipso anni vigesimi quinti die, horâ, horæque minuto majorennitatem consequatur, quo quidem natus est. Dubium autem hic non exiguum enascitur, quod à nemine DDrum, quantum constat, animadversum est, quo die nimirum d. 29. Februarii anni intercalaris natus, majorennitatem consequatur; num d. 28. Februarii, an d. I. Martii? annus enim quisque communis, in qualem incidit majorennitas anno intercalari nati, caret 29no Februarii. Adeo ambigua certe est hæc quæstio, ut

B

VIX

vix decisionem satis fundatam admittere videatur. Et enim pro d. 28. Februarii hæc militant argumenta: quo die quis natus est, eō die etiam, juxta computationem civilem, consequitur majorenitatem. Atqui natus die 29. Febr. natus est die ultimo Februarii, ergo etiam die ultimo Februarii, & adeo 28vo ejusdem Mensis in anno communi, qualis semper est vigesimus quintus ab anno intercalari, taliter natus majorenitatem consequitur. Porro: Juxta computationem civilem quilibet majorenitatem consecuturus, superare debet sex annos intercalares & 19. communes, 4. enim in 25. non nisi sexies continentur, & ex quatuor annis quibusque sese ordine sequentibus, non nisi unus est intercalaris; Atqui die 28. Febr. anni à nativitate vigesimi quinti, superavit quis d. 29. Februar. anni intercalaris natus, 6. annos intercalares & 19. communes; Ergo etiam dicto die majorenitatem consequitur.

§. XI.

Minoris veritas in posteriori argumento inde evinci potest, quod necessario unicuique, qui natus est anno intercalari, anni à nativitate 5tus, 9nus, 13tius, 17mus, 21mus, & 25tus sint intercalares, quoniam nimur quartus quisque post intercalarem annus est ititem intercalaris; atqui natus die 29. Febr. anno à nativitate 25to d. 28. Febr. omnes illos annos, & adeo 6. intercalares, cum 19. communibus superavit; Ergo etiam dicto die majorenitatem consecutus est.

§. XII.

§. XII.

Vicissim pro I. die Martii hæc adduci possunt argumenta : Qui die 29. Febr. est natus, ille est natus die 28vum ejus Mensis immediate subsequente, & per consequens hoc die, anni à nativitate 25ti demum consequi potest majorenitatem, per axioma : quō die quis natus est, illō etiam consequitur majorenitatem : atqui I. dies Martii immediate sequitur 28vum Febr. in anno communi, ergo etiam illō, non vero hoc die majorenitatem consequitur. Porro : qui dis 28. Februarii anni intercalaris natus est, ille citra dubium illo die, post 25. annos, majorenitatem consequitur ; Ergo, qui uno die tardius, nimirum 29no ejusdem mensis natus est, etiam uno die tardius & adeo die I. Martii in anno communi majorenitatem consequi debet. Quod ultimum argumentum reliqua omnia robre vincere mihi quidem videtur, atque hinc commovet, ut posteriori adstipuler sententiæ. Quid autem ad contraria regeri possit, JCtis & Lectori harum rerum curioso indagandum merito relinquo, cum chartæ huic dissertatiunculae destinatæ angustia, non permittat, ut dubio huic dilucidando ulterius immorer. Regredior igitur ad id, unde, re ipsa sic exigente, digressus sum, privilegium nempe MINORENNIVM, consistens in Restitutione in integrum.

§. XIII.

Restituitur nimirum MINORENNIS regulariter contra

B 2

qua-

quæcumque cum ipso gesta, in quibus, ceu LL. lo-
quuntur, ob lubricum ætatis lapsus aut captus est, L. 1.
§. 1. L. 7. pr. L. 11. §. 2. & L. 38. ff. de Minorib. Sive ni-
mitum quid gestum fuerit extra Judicium, ut contra-
hendo, all. L. 7. ff. 1. d. & tor. tit. C. si. adversus vendi-
tionem cum mult. tit. sgg. a contractu recedendo all. L.
7. §. 2. ff. de Minorib. & tit. C. si advers. solut. hæredita-
tem adeundo, repudiando, modo res adhuc sit integ-
ra. L. quod si 24. §. Scævola 2. ff. eod. & 1. t. C. si Min.
ab hæredit. se abstin. itemque t. t. C. si ut omis. hæred. quid?
quod & contra omis. hæreditatem restitutus ite-
rum auditur contra aditionem, all. L. 7. §. 9. ff. de
Minor. sive in Judicio ej. L. 7. §. 4. pen. & ult. ut &
L. 8. eod.

§. XIV.

Gaudet autem MINORENNIS Privilegio Restitutionis,
etiamsi Curator ipsi adstiterit, vel hic solus ipsius loco
contraxerit, L. Tutor. 47. ff. eod. it. L. 1. 2. 3. & ult. Cod.
si tutor vel Curat. interv. sufficere enim putatur, MINO-
RES, ideo, quia ob ætatis lubricum sibi ipsis recte pro-
spicere nequeunt, læsos esse, L. 1. pr. eod. licet etiam
cum Decreto contractus, e. g. venditionis, fuerit ce-
lebratus, L. 11. C. de pred. minor. aut res publice ven-
dita, & plus licitanti addicta, L. 7. §. 7. L. 9. pr. & L.
pen. eod. quæ tamen LL. monent, hisce casibus parcus
concedendam esse restitutionem.

§. XV.

§. XV.

Adversus etiam ipsum Fiscum , licet hic insignissimis alias gaudeat Privilegijs , restitutio MINORENNI non denegatur, adeo nimurum, ut licet quadriennii lapsus obster iis, quorum res a Fisco venditae , §. ult. Instit. de usucap. adversus illius temporis lapsum, nihilominus restituatur MINORENNIS læsus, L. 1. & 2. C. si adv. Fisc. excepto casu, quo res vendita fuit ob debitum Fiscale , nisi tamen etiam hic collusio & fraus intervenerit, & inde res vilius aut saltē omissa solennitate vendita fuerit, ibi enim nihilominus, restitutione subvenitur MINORENNI L. fin. C. d. t.

§. XVI.

Dictum §. XIII. fuit, tam in rebus extra judicium, quam in judicio actis Restitutioni MINORVM locum esse ; sic e. g. datur Restitutio contra omissas probationes, L. 18. & 36. ff. de Minor. item contra sententiam, quæ in rem judicatam transit, utut MINOREM defendantem Curatore latam , L. 16. §. ult. ff. eod. r. t. C. si advers. rem judic. & L. ult. ff. de in integr. rest. nec non contra desertionem causæ, post litem contestatam, sive ab Actore sive Reo factam , L. 7. §. ult. de Minor. & contra appellationis omissionem , L. eod. §. penult.

§. XVII.

Porro autem non solum in Civilibus, sed & Crimina-

minalibus causis subvenitur subinde MINORENNI,
 Restitutione in integrum. Quamvis enim in crimi-
 nibus aetatis suffragium MINORES non juvare, nec ma-
 lorum mores animi infirmitatem excusare voluerint
 Imp. SEVERVS & ANTONIVS L. 1. C. si adv. de-
 lid. rest. post. confirmantes hoc ipso JCti Tryphonini
 sententiam, quam ex ejus Disputationum libris desum-
 tam L. 37. ff. de Minor. inseruerunt Pandectarum com-
 pilatores, quæ vetat, ætatis excusationem adversus
 præcepta LLgum ei concedi, qui dum LL. invocat,
 contra eas committit; hæc tamen solum de veris de-
 lictis, quæ nimur ex dolo profiscuntur, minime
 vero de culposis, ubi dolus abest, & culpa solum in-
 tervenit, intelligenda esse, illa ipsa allegata antea L.
 1. C. si adv. del. abunde docet, utpote quâ Minoribus
 non ex animo, sed extra, delictum committentibus,
 Restitutionis beneficium tribuitur, quam restrictio-
 nem hinc etiam approbant, ut alios taceam, BRVN-
 NEMANN. in d. L. ut & PEREZ in Comm. ad Cod. b. t. qui
 n. 3. existimat, hanc ipsam restrictionem insinuari etiam
 a JCTO TRYPHONINO in alleg. L. 37. ff. dum ait: mi-
 nori XXV. annis in delictis non subveniri per in integr.
 Restitutionem, nisi quatenus interdum miseratio æta-
 tis ad mediocrem poenam Judicem perduxerit; cuita-
 men opinioni subscribere non possum; Quemadmo-
 dum enim in Civilibus MINOR per Restitutionem in in-
 tegr. omnia recipit, L. 27. §. 1. ff. de Min. LAVTER-
 BACH. in Comp. J. b. t. ita etiam in Criminalibus Resti-
 tutio in integr. non poenæ mitigationem, sed plenariam
 aboli-

abolitionem importat ; qui enim in integrum restitu-
is, quæso, dici potest, cui poena, utut mitior, irro-
gatur?

§. XVIII.

Atque ex hactenus dictis judicium ferri potest de
quaestione : utrum MINORENNIS sub confessi & convicti poe-
na ad prestationem juramenti purgatorii in causa criminali
rite citatus & non comparrens in integrum restituendus sit,
nec ne? quæ satis dubia nec certâ lege definita nonnullis
censemur. Reverâ pro Negativa haud parum mili-
tare videtur, quod HERMOGENIANVS in L. 8. ff. de
Min. pronunciat : Minorem etiam si quasi contumax
condemnatus sit, nihilominus restitutionis auxilium
implorare posse ; unde, vi oppositorum infertur : Ergo,
si ut vere contumax condemnatus sit, Restitutio in in-
tegrum ipsi deneganda erit ; quare etiam unanimiter
Ddres statuunt, si veram commiserit contumaciam
MINORENNIS, eum Restitutionis in integrum be-
neficio carere, BACHOV. in Comm. ad $\pi\epsilon\tau\alpha$ ff. &
quidem ad tit. de Minor. Cap. XIV. p. 1122. STRUV.
in Synt. J. Civ. Ex. VIII. th. 57. LAVTERB. in Comp. J.
eod. tit. Definiri autem solet vera contumacia, quæ
præsumtæ, seu quasi-contumaciæ contradistinguitur,
quod sit ea, quæ committitur, quando quis ter, vel
semel etiam, sed peremptoriè, citatus, per malitiam
non comparet, STRUV. in Synt. J. C. Ex. IX. th. 69.
atqui dum MINORENNIS, dices forsitan, in proposito
casu sub poena confessi & convicti citatus non compa-
ru-

rurit, videtur sane veram contumaciam commisſe,
& per consequens beneficio Restitutionis in integrum
se indignum reddidisse.

§. XIX.

Ast si vel maxime videretur MINORENNIS hoc
in casu commissæ contumaciæ reus, eō quod perem-
torie & sub poena conf. & convicti citatus non com-
paruerit, non tamen eapropter revera est talis; non-
ne enim, præter dolum & malitiam, aliæ & complu-
res quidem causæ esse possunt, quæ ipsum vel in to-
tum, vel saltim in tantum excusant? quid si morbus
sonticus in causa sit, nonne in totum excusat, ut
ut peremtorie citatus? & eo magis quidem, quod &
Majorenem hoc impedimentum satis redderet excu-
fatum? quid si ex imperitia contumaciam hanc com-
miserit MINORENNIS, putans, talem coſinuationem esse
solum cuiusdam terriculamenti ad instar citationi adje-
ctam? quid si ex incuria & negligentia solum id fa-
ctum esset? imo, quid si ex mera oblivione non com-
paruerit? nonne his omnibus in casibus abeffet mali-
tia, & per consequens nulla commissa fuisset vera con-
tumacia, sed solum quasi talis?

§. XX.

Satis igitur appetet, genuinam hujus quæſtionis
decisionem inniti debere huic distinctioni inter veram
& quasi-contumaciā: ad illam autem non sufficit Cita-
tio perematoria, vel sub poena conf. & conv. facta, sed
do-

dolus est esse tiale requisitum. Dicendum igitur; quod quotiescumque ex dolo non comparuerit MINORENNIS, sub tali comminatione citatus, beneficii Restitutionis in integrum se omnino indignum reddiderit, per superiorius deducta: quotiescumque autem alia sit contumaciae causa, licet culpam non levem involvat, e.g. crassifaignorantia, ipsi persuadens, factam comminationem executioni mandatam haud iri, incuria, negligentia, vel tandem oblivio, dicto beneficio adhuc locum esse, praesertim autem ultimo in casu, quando nimis remora oblivio est in culpa. In singulis quippe hisce casibus, ob lubricum ætatis utilitas loquuntur, lapsus est MINORENNIS, & per consequens juxta earundem tenorem ipsi beneficio Restitutionis est succurrentum.

S. XXI.

Quid si vero MINORENNIS nec ex falsa persuasione, inanem fore comminationem, nec ex incuria aut negligentia, multo minus ex oblivione, aut ulla alia simili ex causa meram culpam in volente, sed ex proposito prorsus & deliberato animo non comparuerit; sufficietne hoc ad veram contumaciam, & privationem per consequens beneficii Restitutionis in integrum respondetur negando cum SCHOEPFERO in *Synops. Jur. Priv. tit. de Minor. n. 29.* ratio est; quod praeter id, quod dictum, requiratur citatio simultanea Curatoris, quâ intermissâ, ne culpam quidem, ne dum dolum committit MINORENNIS non comparendo,

C

ne-

nemo enim videtur dolo facere, qui jure suo utitur, L.
55. ff. de Reg. jur.

§. XXII.

Sed adhuc aliae, haud vanæ suppetunt rationes,
quare MINORENNI in judicio non comparente, ut ut
sub comminatione confessi & conv. citatus in causa
Criminali fuerit, concedenda nihilominus sit in integrum Restitutio.
Prima hæc esse potest, argumen-
tando à majori ad minus: Nimirum extra dubitationis
aleam positum est, restitutione in integrum gaudere
MINORENNEM contra confessionem temerariam ve-
ri delicti, L A V T E R B A C H in Comp. It. tit. de Minor,
SCHOEPPER in Synops. Jur. pr. eod. tit. n. 30. Nec au-
thoritate sola Ddruim nixus id assero, sed expresse id
ipsum pronunciat ULPIANUS, in L. 6. §. pen. ff. de Con-
fessi. dicendo: *Minorem a confessione sua restituemus.*
Quid clarius, quæso dici potest? Accedit, quod alias
etiam MINORENNIS, nimirum in temeraria negatio-
ne damni dati, quæ poena dupli punitur, Restitutione in
integrum, contra hanc dupli poenam, gaudeat, eo ef-
fectu nimirum, ut confessi æquiparetur, nec plus præ-
stare cogatur, quam si ab initio damnum datum fuisset
confessus, L. 9. §. 2. vers. sed si. ff. de Minor.

§. XXIII.

Altera oratio, argumento à minori ad majus
ducto, hæc esse potest: In Civilibus causis, et
iam si sub poena confessi & conv. citatus sit MI-

NO-

NORENNIS, ni id factum sit simul sub poena
amittendi beneficii Restitutionis, subvenitur ei hoc be-
neficio; cur ergo in Criminalibus, utpote majoris ple-
rumque præjudicii causis, ei eadem carendum sit, sane
haud apparet, præsertim cum aliæ in Citationis mate-
ria haud raro argumentum à causis Civilibus ad Cri-
minales ducatur. Atque hæ procul dubio rationes
etiam Inclytam Facult. Jurid. Lipsiensem moverunt,
ut M. Octobri M D C XXVII. in simili casu, non con-
demnandum MINORENNEM, sed, sub jacturâ beneficij
Restitutionis in integrum, denuò citandum esse, pro-
nunciaverit.

¶ XXIV.

Hæc sunt L. B. quæ Dissertatione hac Inangurali
tradere placuit. Longe adhuc fusius quidem de ciis ipsis,
quæ legis, potuisse agere; tempus autem, cuius pro
circumstantiarum ratione a me quoque ratio probe
erat habenda, quid quod cui insidiari pene coactus sum,
plura addere non permisit. Accipies tamen, prout
confido, hæc pauca fronte serena non minus quam
animo æquo, quod quemadmodum in votis est, ita
has ipsas pagellas placidæ Tuæ censuræ lubens
subjicio. Ita Vale!

T A N T V M.

CO.

COROLLARIA.

I.

Sponsa, ob stuprum sponsi ante sponsalia contracta perpetratum, atque ab ipsa ignoratum, matrimonii consummationem detrectare, atque istam repudii causam jure suo urgere potest.

II.

Legatum rei Legatario propriæ & hinc alienæ in testamento relictum, non pro inutili aut invalido est habendum, licet haeres institutus æstimationem rei legatae præstare non teneatur,

III.

Cui servitus in fundo alieno competit, ad certam quandam onerum fundo servienti inhaerentium realium ratam exsolyendam, nullo jure tenetur.

99 A 6958

ULB Halle
002 928 515

3



VDA

Rektor

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

8
7
6
5
4
3
2
1
Inches
Centimetres

DISSESSATIO IN AVGVRALIS JVRIDICA
DE MINORENNI
IN CAVSA CRIMINALI
AD PRÆSTANDVM JVRAMEN-
TVM PVRGATORIVM SVB PœNA
CONFESSI ET CONVICTI RITE CITATO ET
NON COMPARENTE IN INTEGRVM
RESTITVENDO

QVAM,
IN PERANTIQA VNIVERSITATE HIERANA
ILLVSTRIS JCTORVM ORDINIS PERMISSV
RECTORE ACADEMIÆ MAGNIFICO
DN. TOBIA JAC. REINHARTH,

JCTO, SACRI PALATII CÆSAREI COMITE, JVRID. FACVLT. ASSESSORE
ET PROFESS. COD. PVBL. ORDIN. CIVITATIS STNDICO
ET CONSVE,

SVB PRÆSIDIO
DN. CONR. WILHELMU *Gtreders/*
JCTI, FACVLTATIS JVRIDICÆ, NEC NON JVDICII ELECTORALIS PROVIN-
CIALIS ASSESSORIS, PROFESS. PVBLICI ET CIVITATIS
ERFORDIENSIS SENATORIS,

PRO LICENTIA
SVMMOS IN VTROQVE JVRE HONORES ET PRIVILEGIA
DOCTORALIA LEGITIME CAPESSENDI,
HORIS LOCOQVE CONSVETO

PLACIDÆ ERUDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT
CHRISTIANVS Gottlieb *Schimann/*
ADV. IN ELECT. SAXON. LEGITIMAT.

DIE XV. OCTOBR. A. M DCC XXXI.

ERFORDIÆ, Typis JOH. CHRISTOPH. HERINGII, Acad. Typogr.